

Est tamen sciendum quod dictus rex Sanctius regnavit in Aragonia sex annis ante quam esset rex Nauarre.

Et tunc intravit lex romana in Sanctum Iohannem de la Penya, XI^o. kalendas aprilis, secunda septimana quadragesime, feria III, hora prima et tertia fuit toletana, hora sexta fuit romana, anno Domini millesimo LXX^o. I^o. Et deinde fuit servata lex romana.

Dictus autem rex Sanctius Remiri fuit valde bonus rex et virtuosus, quod euidenter apparuit, inter alia propter acquisitiones sequentes. Quim anno Domini M^o. LXXX^o. cepit castrum de Coruino et Pratiella, et tunc sarraceni comburcerunt locum de Pina. Et habuit bellum cum eis apud Cesaraugustam. Anno Domini M^o. LXXX^o. primo cepit locum de Bolea. Anno Domini M^o. LXXX^o. tertio cepit Grados et eodem anno decesserunt plurimi christiani in Rceda, et populavit Ayerbium, et preliatus fuit apud Petram Pisadam cum mauris die Natiuitatis Domini.

Anno M^o. LXXX^o. quarto et corpora Sancti Indilexi et Sancti Iacobi eius discipuli, qui post ipsum fuit episcopus ciuitatis d'Urtle qui nunc uccata est Almaria, fuerunt translata honorifice pro reliquiis ad monasterium Sancti

Iohannis de la Penya per dictum regem Sanctium Remiri et eius filium Petrum et per Sanctium abbatem dicti monasterii, sancta die Iovis Cene, nonas aprilis, feria quinta. Et sexta et post Pascha cepit dictus rex Arguedas. X^o kalendas iunii cepit Castellam, et sabbato sequenti iniuit prelium in Morella.

Et recolens quod Citus Rodericus Didaci interfuerat morti patris ipsius Sanctii apud locum de Grados cum rege Castelle, iniuit prelium cum eodem qui erat ibi, fuitque uictus dictus Citus anno Domini M^o. LXXX^o. VIII^o., in mense madii.

Et dictus rex hedificauit monasterium Montis Aragonis et canonicatum de Iacca et de Fanlo. Et anno Domini M^o. LXXX^o. nono, die Sancti Iohannis Bapstiste, cepit dictus rex, cum suo filio Petro, Montem sonum. Et anno Domini M^o. XC^o. ciuitas Oscensis soluit tributum dicto regi, et fuit in subsidium Alfonsi regis Castelle apud Toletum contra mauros. Et eodem anno populavit Stellam, et contulit multa bona monasterio Sancti Iohannis de la Penya, cui dedit ecclesias et alia loca in Nauarra.

Anno quidem Domini M^o. XC^o. I^o. hedificauit Castellarium supra Cesaraugustam. Anno Domini M^o. XC^o. II^o. recuperauit Sanctam Eu-